quod tempus.

Rubrica de obſeruatione ieiunij ait, pueri dum ſunt doli capaces, & ieiunare valent, ſicut peccare ſciunt, ita & peccata deffere tenentur; quem ſequitur Supplem.dicens,hanc opinionem tutiorem eſſe D.Thom. & Richardus in locis citatis,quos maior pars doctorum ſequuntur, aiunt; pueros eſſe exemptos, vſque ad annum vigeſimum primum, & hoc rationabilius, in illa enim ætate, propter augmentum, indigent multo nutrimento, & ob naturæ teneritudinem, opus eſt frequenti cibo: verum tamen monendi forent, vt talibus ieiunijs ſe exercitarent plus,vel minus,prout ætas,& robuſtitas,& corporis firmitas ferre poteſt.

Martinus de Alexandris in tractatu de ieiunio. q.4. dicit, hoc intelligendum eſſe de ieiunio quadrageſimę,in qua tot hebdomadas continuatim ieiunare eis noceret,propter cauſas prædictas,ſed in ieiunijs ſolemnitatum,& quatuor temporum,hæ rationes eis non ſuffraganrur.

Senes quando non tenētur ieiunare.

Cui reſpondetur, rationes concludere uniuerſaliter, ab omni Eccleſiæ ieiunio eſſe abſolutos: verum conſilij eſt, potentes ieiunare, vt ieiunent, etiam in Quadrageſima, ad minus ter in hebdomada. Senes autem non habent tempus præſcriptum, ut pueri ex eo, quod ſenectus non eſt omnibus vna, ſicut ætas augmenti in pueris, & ideo ſicut eſt robur in ſenibus, ita iudicandum eſt; ſunt enim quidam ſexagenarij, ita fortes, & robuſti, ac ſi eſſent quinquagenarij & ex aduerſo, quandoque quinquagenarij ſunt, ita debiles, ac ſi eſſent ſenes; Vnde de ipſis idem iudicium faciendum eſt, atque de imbecillis, debilibus, conualeſcentibus, defectuoſis, patientibus vertigines, dormire, aut caleſieri in lecto, propter ſtomachum vacuum, non valentibus, de quibus omnibus eadem eſt ratio;quorum conſcientia. Iudex eſſe poteſt, vtrum id faciant vera neceſſitate,an friuoli timore; ne patiantur, ac pietate quadam, vt ſe conſeruent. Regulariter tamen ætas ſeptuaginta annorum excludit ſenes ab obligatione ieiunij, ait Richardus in 4. propter namque caloris debilitatem, indigent frequenti cibo, totum enim ſimul concoquere nequeunt; ac patiuntur multa mala, iuxta illud Pſal. Dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni, & eorum amplius labor & dolor. Secundo, quo ad paupertatem, illi ſolùm, propter paupertatem, excuſantur, qui non habent, unde poſſint ſufficientem refectionem præparare; vt ſunt mendicantes, aut ita pauperes, quod ad cœnam; quæ neceſſaria ſunt, ſimul habere nequeunt. vnde ſi panem habent,deficit vinum,& ſi vtrumque adeſt, non habent coctum quid. Excuſantur etiam qui cibos ſibi parare non valent, nec habent, qui pro eis parent: vnde coguntur comedere tanquam ad brauium curſores. Tertio quo ad itinerantes. Iter longum facientes pedeſtrim, excuſantur à ieiunio, ac etiam equitando, ſi per multas diætas, & neceſſariò equitant,&ad veſperā uſque ſubſtinere, non poſſunt. Dico (neceſſariò) nam qui venationis gratia, vel ſimili, tota die equitat, propter quod, ieiuniem diei præcepti relinquit, non eſt immunis a mortali. Excuſantur tabellarij, qui de hanc arte viuunt; peregrinantes per multas diætas: intellige ſecundum præfatos doctores, ſi peregrinatio, propter iuſtas cauſas, differri non poteſt; quia ſi poſſet differri, eſſet expectandum; indiſcretum enim eſſet peregrinationem incipere tempore quadrageſimæ; in quo tenemur ieiunare: verum ſi peregrinatio ante aggreſſa fuerit, ieiunium interea adueniens, ſi erit incompatibile; relinqui poteſt. Quarto, quo ad laborantes, excuſantur quoque, artifices, faber lignarius, ferrarius, carpentarius, & ſimiles, agricolæ, operarij rurales, colentes agros, & huiuſmodi, ſi uiuunt de arte ſua; & quæ ad eorum familiam neceſſaria ſunt, per illam acquirunt, ſecundum D.Thom.in 4.ſent.non autem ſi eſſent diuites, ut ſine illis laboribus uiuere poſſent; ſed hoc ſolummodo

Pauperes qui ieiunare non tenentur.

Tobellarij, & peregrinantes, excuſantur à ieiunio.

Laborātes excuſantur a ieiunio.

intellige,